



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

26 Feb. 4 Kal. Mart.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

filix apparet, illam ad caelestia regna vocasti.

OMNES SANCTI, &c.
pag. 44.

S. MARIA, quæ hodierni tui S. Gerlandi Ep. precibus annuisti, & crystallinam pyxidem fractam restituisti. unde Gerlandus, clienti suo supplici per quietem se offerens, dixit, se impetrasse, quod petebat, meritis sanctissimæ Dei Genitricis. *Docce me amare, doce me orare, doce me impetrare!*

S. MARIA, cuius Rosario gestando, & piè recitando, addicta hodierna tua cliens Cæcilia, fragrantem, tanquam ^{in rosis, manibus traxera, post mortem} comperta est. *Perfunde me castis tuis odoribus; ut etiam alios traham ex templo in odorem tuum!*

26 Feb. 4 Kal. Mart.

S. Porphyri, cui ad Christum (quem Crucifixum videbas) dicenti: *Domine, memento mei, dum veneris in Regnum tuum!* bonus ad Crucifixi dexteram lato osculum, Christus verò osculum, & Crucem suam ferendam dedit. Memento, quæso, mei apud Crucifixum Jesum. Memento mei: jam enim venisti

nisti in regnum tuum, id est, tibi paratum à constitutione mundi. Amen.

S. Norberte, qui ab Honorio II, hoc die, sacri tui Ordinis confirmationem obtinuisti.

JESU, MARIA, JOSEPH, quorum in Ægyptum fugæ memoria hodie in Hispaniâ, festo ad id instituto, recolitur.

B. Nestor Ep. pro grege Christi Orator sancte, qui equuleo crudelissimè tortus, & crucifixus, clama-
bas: *Cum Christo Deo meo semper fui, & sum, & ero;* è Crucis etiam cathedra multa dicens ad Christianos, flexis humi genibus orante omni populo, ipse in Cruce orans, & dicens *Amen*, crucifixus obdormisti.

Sancti Papia, Diodore, Conon, & Claudiane, MM.

Sancti Fortunate, Felix, & alii viginti septem MM.

S. Alexander Ep. gloriose senex, Ecclesiæ Catholicæ defensor acerrime.

Sancti Faustini, Porphyri, Andrea, Episcopi.

S. Victor, quo necdum nato dixit ex energumeno dæmon: *Quare nos torques præ initio nascendi,*

S. Victor? qui inediâ, & orando fessus, per quietem, in cælo aperto, vidisti Crucem Domini, aureo splendore, ac lapidibus pretiosis, utrinque illustrem, vocémque audisti: Hæc quæ cernis, animæ sunt Sanctorum, qui pro Christo Domino stolas suas in Sanguine Agni laverunt: qui Orationem Dominicam in cælo cantari audisti, Angelis accinentibus: *Sed libera nos à malo.* Non habent illi malum, à quo liberentur, nec tu; sed me orare docent. Impetra mihi spiritum ita orandi, atquè si artem orandi ab Angelis, & à Sanctis omnibus, didicissem.

OMNES SANCTI, &c.

pag. 44.

S. MARIA, in cuius honorem Philippus Augustus Gallia Rex Judæos, capitales hostes tuos, toto regno suo hodie exturbari mandavit. Da id precibus meis, Regina augustissima, ne ulum ego hostem tuum, vel momento uno, habitare patiar in animâ meâ!

27 Feb. 3. Kal. Mart.

S. Athanasia, S. Andronici sanctæ conjux, cujus duos filios, cælo receptos, vidit S. Julianus Martyr.
O sim.